540

6

SCIPIONIS CASSOLAE MEDICI PARMENSIS CVM IOANNE. FRANCISCO BOCCALINO MEDICO ASVLANO DISCEPTATIO

AN EPITHEMATVM VSVS ANTIQVIS MEDICIS FVERIT COGNITVS.

PARMAE,
Apud Seth Viottum.
M D LXV.

BRITISH MUSEUM
SALE DUPLICATE
1787

ILLVSTRISSIMO, AC PRAESTANTISSIMO PARMAE ET PLACENTIAE DVCI OCTAVIO FARNESIO,

SCIPIO CASSOLA

S. P. D.

HANC MEAM, CVM IOanne Franciſco Boccalino, diſputationem de Epithematibus extrinſecus admouendis, tuis auſpiciis prodire volui, Princeps Illuſtriſſime: tum quia epithemata tibi ſummo adiumento fuiſſe olim tuis in febribus, grauiſſimus es teſtis: tum præſertim, quia hunc meum laborem quantuluncunque tuis virtutibus maxime illuſtrem reddere vales. Qui quencunque fortiſſimum virum non modo ætatis noſtræ, ſed etiam ſuperioris, vir-

tutibus imperatoriis ſuperas, Innocentia ſcilicet, Temperantia, Fortitudine, Iuſtitia, Fide, facilitate, ingenio, humanitate. In te enim (Deos teſtor) ita ſumma puto eſſe hæc omnia, vt in alio nemine maiora, vel paria, ſimul reperiri poſſe exiſtimem. non ab re igitur hanc meam diſceptationem tuis virtutibus munitam exire volui. Nec temeritatis me arguas, quæſo, quòd hunc meum laborem tuo nomine indignum, tibi dicare auſus fuerim. eadē enim humanitate, qua tu tuam valetudinem meæ fidei commiſiſti, fretus, exiſtimationem meam tuæ auctoritati commendare auſus ſum. ſuſcipe igitur ea hilaritate, qua ſoles ſtudioſorū omnium labores, hunc primum meum fœtum: qui ſi non ingratus tibi extiterit, maiora fortaſſe aliquando præſtabo. Vale decus Principum, meq́; (vt exopto) ames.

Parmæ nonis Iulii. M D LXV.

AD LECTOREM.

CVM CANETI, quod eſt agri Mantuani Oppidum, mihi cum Ioanne Franciſco Boccalino Medico celebri, orta eſſet, de epithematibus cordi admouendis, controuerſia; cumq́; mihi antiquos medicos illis vſos fuiſſe aſſerenti, idq́ue me oſtenſurum pollicenti, non modo fidem abrogaret Boccalinus: ſed & anni ſpatium ad id oſtendendum vltro mihi offerret, atque, ſi id, quod pollicitus fueram, præſtarem, meũ ſe velle eſſe perpetuum obſidem profiteretur: reuerſus ego in patriam, quāprimum potui, epiſtolam ad ipſum miſi, in qua vſum epithematum antiquis medicis cognitum, me demonſtraſſe arbitror; & ad aliquos meos amicos artis medicinæ profeſſores, epiſtolæ exemplum miſi, vt & ipſi iudicium ſuum de veritate huius problematis ferre poſſent: non gloriæ inanis cupiditate ductus (vt mihi aſcribit ille) id feci. quoniam ſi gloriam tantopere affectaſſem, epiſtolam in publicum prodire curaſſem, ſicut curauit Boccalinus ſuam reſponſionem. quæ, quàm humiliter data ſit (quod ipſe ait) omnes

intelligent: quàm vero mihi dolendum, ac pœnitendum ſit ex ipſa, peritiores iudicabunt. nam ego græculus, literarum latinarum (vt ipſe ait) ignarus, eloquentiſſimos medicos ſecutus, oſtendam me accuratius fortaſſe, quàm ipſe (licet controuerſia in hoc minime cõſiſtat) rei naturam, linguæq́; proprietatẽ in illo verbo, in quo ipſe gloriatur, conſideraſſe. Doleo equidẽ mirum in modum, eum, qui mihi chriſtiana charitate ſe iunctum, perpetuò fore prædicat: valde adeo me, vt acerrimum hoſtem mordere, ac pungere. ego vero charitate ipſa fretus par pari referre nolo. quinimmo (vt ipſamet edocet) omnia æquo animo fero. firmis tantummodo argumentis, conſtantibus rationibus, ſoli deniq; ſcientiæ innixus, non iurgiis, non contumeliis, non polito quodam genere dicendi confiſus, cum diutius grauioribus ſcientiis, quàm rhetoricis, operã nauarim, acriter cũ eo pugnare cõſtitui. Porro nunquam iſtam noſtram diſputationẽ palàm edere decreueram: tum, quia res ſatis tenuis non mihi ſatis prælo digna videbatur; tum ne ex hac editione graues mihi cum collega, & amico (quod omnium minime volebam) ſuſciperentur inimicitiæ. quamobrem Ianuario menſe proxime elapſo, meam reſponſionem

manu ſcriptam, ad eum miſi. cum tamen reſponſa ſua Boccalinus prælis ſubiecerit, veritus, ni publicè ego quoque mea edidiſſem, ne omnes docti, quòd cauſa inferior eſſem, me non edidiſſe ſuſpicarentur, totam integram controuerſiam imprimi curaui, vt omnes eam perſpicere, perpendereq́; poſſint, & vter noſtrum rectius ſentiat, iudicare. Vale.

Cum licentia Superiorum.

SCIPIONIS CASSOLAE MEDICI PARMENSIS

AD IOANNEM FRANCISCVM BOCCALINVM MEDICVM CLA-RISSIMVM EPISTOLA PRIMA.

QVÒD VSVS EPITHEMATVM ANTIQVIS SIT COGNITVS.

CVM VNA præeſtemus vir excellentiſſime curationi Illuſtriſſimi Antiſtitis Sanctæ Floræ nuncupati menſe proxime elapſo, veniſſemusq; in diſputationem de admouendis cordi, vocatis nunc vulgo Epithematibus, ideſt, medicamentis refrigerantibus extrinſecus appoſitis, tua fuit ſententia, antiquos Medicos nunquam illis vſos fuiſſe in febribus putridis: cūq; ego illos eis vſos eſſe aſſeuerarem, tu ſubiunxi-

ſti, te mihi ſtatuere terminum vel vnius anni, intra quem ſi oſtenderem priſcos medicos epi thematibus in putridis febribus vſos fuiſſe, meum te velle eſſe perpetuum obſidem. Quoniam igitur maximè, mihi tum gloriæ, tum vtilitati eſſet talem habere obſidem: cum primum per occupationes meas mihi licuit, cœpi perſcrutari, quid ſuper hac re aliâs, dum Galeno operam nauarem, obſeruaſſem: id'q; obiter: nunquam alioqui arbitratus hoc controuerſũ eſſe poſſe, vſu quotidiano epithematum apud medicos frequẽtiſſimo in his febribus, me ſuper hoc theoremate tutiorem reddente. inueni itaq; Galenum ſuper ore ventriculi, & ſuper totis hypochõdriis iubere epithemata imponenda eſſe in febribus putridis, in quibus conueniunt, & tum, cum incidit diſputatio, forte fortuna mihi in mentem venit ſententia Galeni, quæ idipſum maximè oſtendebat: ſed ob malam (nõ enim tum aderat nobis græci codicis copia) verſionem tu habuiſti anſam, non ſolum tergiuerſandi, ſed etiam verba quædam iniurioſa ferè in me proferẽdi: quæ ego tum ſenii venerandi gratia, tum ne præſentis vulgi fabula eſſemus, patientiſſime tuli: nuncq; non contradicendi gratia, ſed vt veritas in lucem prodeat, hæc ſcribere aggreſ-

ſus ſum:non ſanè de veritate problematis ſimpliciter diſputaturus:aliâs enim, ſi dabitur occaſio, hanc perſcrutabor: ſed tantum vſum epithematum (id quod tu negaras) in febribus putridis, antiquis medicis probatum fuiſſe oſtenſurus. ſententia itaque Galeni (vt rem iam aggrediar) à me citata fuit caput de Portulaca poſitum ſexto libro de facultate ſimplicium medicamentorum: vbi Galenus enumerans Portulacæ vires in ſuo idiomate, ita inquit, ταῦτά τοι καὶ τοὺς καυσουμένους ονίνησι εἴπερ τί ἄλλο, κατά τε τοῦ στόματος τῆς κοιλίας ἐπιτιθεμένη, καὶ ὅλων τῶν ὑποχονδρίων, καὶ μάλιστα ἐπὶ τῶν ἑκτικῶν πυρετῶν. Hæc verba cuilibet medico græcis literis mediocriter erudito ita ſonant, Ob hæc, & cauſo laborantes iuuat, ſi quid aliud, & ori ventriculi impoſita, & totis hypochondriis, & maximè in hecticis febribus. Nam quòd illud verbum καυσουμένους, apud Galenum ſignificet cauſo laborantes, nouerit quicunq; Galenum ſua lingua loquentem aliquando audierit. Aeſtuantes vero interpretatus eſt (hinc tibi anſa negandi veritatem extitit) Theodoricus Gerardus Gaudanus, qui (vt ait ille, qui epiſtolam nuncupatoriam illius interpretationi præpoſuit) vertit hos libros ſibi, non vt palam ederentur: moxq́ue morte præueniente, ſuam verſionem corrigere non

potuit: eū tamen omnes iſti, qui interpretationes corrigere profitentur, oſcitāter ſecuti ſunt. ex hac igitur Galeni ſententia facile colligi poteſt, antiquos medicos medicamenta refrigerātia, in febribus putridis extrinſecus admouiſſe.

Alterum dictum Galeni in primo eiuſdem voluminis capite ſexto idipſum oſtendit, volens enim ibi Galenus oſtendere, aquam frigefacere, inquit, Si componatur humidum ceratum, & adiungatur aqua, refrigerare & eos, qui in febre vruntur, ſi hypochōdriis ſuperponatur. Codex græcus habet, τοὺς ἐν πυρετῷ καυσομένους, interpres non potuit vertere æſtuantes: licet eſſet idem verbum, quod ponitur capite de Portulaca: quia Galenus ibi expreſſe addit illud verbum ἐν πυρετῷ, ideſt, in febre.

Idem tertio eiuſdem voluminis capite octauo innuit Galenus, cum docet nos poſſe qualitatem roſæ experimento cognoſcere: inquit enim, licere nobis contrita roſa aliquando illinire os ventriculi hominis cauſo laborantis: vbi interpres vertit æſtuantis, cum tamen idē eſſet verbum in græco idiomate, quod erat in primo libro, ſcilicet, καυσομένου, & licet pro exēplo ponat Galenus hoc experimentum, tamen ipſum accepiſſe exemplum experimenti, quod nunquam fieri conſueuerit, non eſt vſq; adeo veriſimile.

Sed quid plura adducam? cum habeamus non ſolum ſententiam, ſed præceptum etiam, quo præcipit nobis Galenus debere vti confidenter in febre ardenti, externis refrigerantibus auxiliis: hæc ſententia ponitur quarto libro eiuſdem voluminis, capite ſecundo: vbi comparans Galenus ſuccum omphacis aceto, inquit: Succum omphacis eſſe ſimplicis qualitatis, non mixtum ex contrariis qualitatibus, ſicut acetum. Propterea perfectè refrigerare, hinc cauſo ſumme prodeſſe ſiue ori ventris impoſitum, ſiue totis hypochondriis, ſiue cuilibet alii, quod refrigerare libeat. paulò poſt ſubdit Galenus: Itaque, quod eſt acidum tan- ,, tum, quicquid id fuerit, plane frigidum eſt, ſi- ,, ue pyrum, ſiue malum, ſiue rhus, ſiue rubi, ,, aut mori, aut mali punicæ fructus, ſiue quicũ- ,, que alius vel fructus, vel ſuccus, vel planta, vt ,, oxylapathum, & oxalis, quam ſanè & oxyda ,, appellant: quippe ſi guſtanti vehemens qui- ,, dẽ, & manifeſta acciditas in eo appareat, nulla ,, autẽ acredo omnino hunc ſuccum refrigerare ,, reperies, & confidenter vtere, ſiue ad cauſum ,, velis vti hypochõdriis imponens, ſiue ad ery- ,, ſipelas, ſiue ad alium quemcũq; affectũ calidũ. Hæc eſt tota Galeni ſeries. ille bonus interpres quem & iſti boni correctores ſecuti ſunt, vbi

Galenus dicit πρὸς καῦσον, ideſt, ad febrem ardẽtem, vtrobiq; vertit ardores, vel igitur per ardores latine debemus intelligere id, quod græci appellant τὸν καῦσον, quod non video ab aliis interpretibus latinis, vbi de febre ardente loquuntur, obſeruatum: vel ipſe perperam admodum interpretatus eſt Galeni verba, ſed quicquid ſit de interpretum erroribus, ſatis eſt mihi Galenum non ſolum vti epithematibus, ſed iubere nos illis audacter vti.

Hæc mihi viderentur ſatis ſuperq; ad oſtendendam Galeni ſuper hoc theoremate ſententiam, ſi tamen hæc non ſatis eſſe videntur tuæ excellentiæ, accipe rurſus aliam Galeni orationem eodem quarto libro, capite vndecimo, vbi habet hæc verba: latina enim verba pono, dimittens græca, ne, quod multi faciunt, nimis græcizari velle videar, ſemel tantum contextum græcum appoſui, quia eius appoſitio tum mihi neceſſaria viſa eſt: hæc igitur eius
„ verba. Etenim ad hypochõdria ardentia præ-
„ ſtãtior ſuccus eſt omphacis, quam aceti, quod
„ nec violentam, ac ferientem habeat frigidita-
„ tem, nec eam mordaci caliditati admixtam:
„ debent enim, qui ſic laborant, ſine violentia
„ mitigari, vt dictum eſt, nec foris vllam aſciſce-
„ re mordacem aut caliditatem, aut acrimoniã,

atque hæc quidem iam attingunt curandi me- ,,
thodum, quæ multis in locis huic communis ,,
eſt. Hæc ſunt Galeni verba, quæ, quòd debeant intelligi in febri ardente clarum eſt, tum ex illo verbo, quod dicit, vt dictum eſt, refert enim ſe ad ea, quæ dixerat paulò ante cap. ſecundo, tũ ex his, quæ ſubdit ad finẽ capitis, cũ inquit.
Etenim inter omphacas aliæ plus acerbitatis, ,,
†aliæ minus aciditatis habent, ſunt & quæ pari ,,
portione ambas ſortitæ ſunt: omnes tamen ad ,,
refrigerandos ardores (græcus codex habet ,,
καὐσȣς, ideſt febres ardentes) merito cõueniunt: ,,
quippe cum non ſolum quod acidum eſt, fri- ,,
gidum ſit; ſed & quod acerbum, velut & ante ,,
a nobis dictum eſt. Recedit ſanè, & hic rurſum oratio, ad curandi methodum. ex hac igitur Galeni oratione, vel cæco manifeſtum eſſe arbitror, antiquos medicos, Galenumq; præſertim, in febri ardenti, quæ proculdubio putrida eſt, medicamentis extrinſecus refrigerãtibus vſos fuiſſe. quinimmo & audacius, & validiora refrigerantia, quàm nos admoueamus, admouiſſe: cum & medicamenta, vt videmus, validiora, quàm nos, admouerent, & ori ventriculi, & hypochõdriis ipſis, quæ tum obſtructioni, tum nimiæ refrigerationi, magis quàm cor, ſunt obnoxia, imponerent.

† Hic græcus codex mutilus eſt propterea & interpretatio.

Hæc ex Galeno adducta ſunt, ſi vero & aliorum antiquorum medicorum ſuper hac re ſententiam ſcire deſideras, audi Paulum Aeginetam ſecundo libro ſui voluminis, capite de febri ob affectionem eryſipelatodem, ita dicen-
„ tem: Extrinſecus frigorifica applicentur, & ſi
„ nihil opis attulerint, intra corpus ſumere co-
„ gãtur, præcipue vero expediũt illis lactucæ, &
„ quæ his poteſtate reſpondent, foris vero & ip-
„ ſe lactucæ ſuccus idoneus eſt, quin & ſemper-
„ uiui, & quæcunq; alia refrigerantia, & reliqua ipſe ſcribit vſque ad finem capitis, quæ nõ adducam, cum hæc ad oſtendendam Pauli ſuper hoc problemate determinationem, ſatisfacere videantur: ſi tamen hæc non ſatisfaciunt, audi eundem eodem libro capite de febre peſtilenti, in qua (vt ſcimus omnes) maximum periculum eſt, vapores putridos retrudi ad cor: vbi inquit, quod ſi plurimum ardore ferueat æger, & flamma iam ad pectus pertineat, non alienum fuerit refrigerantia pectori admouere: & licet hæc dicat ex ſententia Ruffi, tamen non reicit eius opinionem, immo cum ſuo volumini adiunxerit, nec eam reiecerit, approbaſſe eam indicio eſt: præterea Ruffus fuit antiquus, & probus medicus.

Paulo ſubſcribunt Oribaſius, & Aetius, tam

in febr

in febre ab affectione eryſipelatode originem habente, quàm in peſtilente. Oribaſius quidē ſexto libro ſui Compendii medicinæ, cap. 20. & 25. Aetius vero quinto libro ſui voluminis, cap. 89. & 95. horum verba non apponam, cū eadem ferme ſint, quæ in Paulo leguntur.

Aetius præterea in curatione febris ardentis ex Philumeno epithematibus vtitur, inquit enim, Epithemata conueniunt pectori, & ſto- „ macho impoſita: palmulæ, cum vino, & roſa- „ ceo, aut melino tritæ: ſunt & refrigerantia cō- „ moda, velut ſunt pampini vitis triti, ſeris, po- „ lygonum, plantago, ramenta cucurbitæ, la- „ ctuca, rumex acutus, & reliqua. Verum ille auctor duo cauet in adhibendis epithematibus: alterum ne nimis aſſiduus ſit vſus: alterū ne in principiis, vel augumentis acceſionum illis vtamur. ſed mihi ſat eſt, auctorem illum iubere pectori, & ſtomacho oportuno tempore imponenda eſſe epithemata.

Alexander Tralianus itidem eis vtitur in curatione legitimæ febris ardentis, verba eius ſunt hæc, poſita Libro quinto ſui operis, cap. quarto. Cæterum contra exquiſitam febrim „ æſtuoſam algorifica remediorum, quorum „ vſus probatur. auxilia ſunt ex oleo roſaceo „ concinnatæ medicinæ, quæ febres fugant „

,, λεξιπύρετοι a Græcis vocatæ, quibus admiſcen-
,, dus eſt liquor herbarum infrigidantium, ver-
,, bi cauſa ſuccus vmbilici veneris, oxalidis, atri-
,, plicis, portulacæ'que, ac ſedi, & ſolani, veſſi-
,, cariæ, & plantaginis, atque id genus cætera
frigorifica.

Age igitur, excellentiſſime Boccaline, oſtẽ-
dunt'ne hæc vſum epithematum in febribus putridis eſſe antiquis medicis cognitum, ac obſeruatum? Si enim id minime oſtendunt, doceas quomodo non oſtendant, veritati nẽpe libenter acquieſcam: ſi vero rem ipſam demonſtrant, te mihi aſtrictũ, ac perpetuò addictũ eſſe ſcito.

Vale ſenex doctiſſime,
ad Neſtoreos'que
annos vi-
tam
proroga.

IOANNES FRANCISCVS BOCCALINVS ASVLANVS MEDICVS,

SCIPIONI CASSOLAE PARMENSI.

ILLVSTRISS. ET EXCELLENT. PRINCIPI, SERENISS. REIPVB. VENETAE GVBERNATORI GENERALI MERITISS.

DOMINO SFORTIAE PALLAVICINO DOMINO SVO SEMPER COLENDISSIMO,

Ioannes Franciſcus Boccalinus Aſulanus, Medicus, S.P.D.

SVPERIORIBVS *diebus ab* Excellenti *Phyſico Scipione Caſſola Parmenſi literas accepi: quibus, dum latinarum literarum ignarus, ab inſcitia, quam Caneti ſponte ſubijt, ſe uindicare cupit, Græculum oſtentans, in maiorem lapſum incurrit.* Re*ſponſum de more humiliter dedi, illudq́; dignitati eius conſulens, ſoli afferri curaui. uerum, cum populari innixum glorioIæ, ad quàmplurimos & Parmenſes, & alios Medicinæ profeſſores, Epiſtolæ exemplum, iactabundum miſiſſe, mihi nunciatum foret, Caſſolæ indolens, eiuſq; miſerens infortunio literas meas ſub tuo nomine ſtatim exire curaui: tum quod, ueluti armorum, ita & bonarum literarum præſtantia decoratus, omnibus inter nos actis, teſtis inſignis affueris, tum etiam, ut aliquod obſeruantiæ erga te meæ, teſtimonium afferrem, qui me ipſum, & cuncta, licet exigua bona, in honorem, & gloriam tuam perpetuo deuoui.* Vale, *meq; tui deditiſſimum, ut ſoles, ama.*

Ex Aedibus *noſtris Aſulæ, quarto kal.* Ianuarij. M D LXIIII.

IOANNES FRANCISCVS BOCCALINVS ASVLANVS MEDICVS,

SCIPIONI CASSOLAE PARMENSI S. P. D.

TERTIO Nonis Decembris, à viſendis ægris domũ redeunti, à ſeplaſiario Caneti redditæ mihi fuerunt literæ tuæ: quas, audito Caſſolæ nomine, plurima affectus lætitia, ſtatim deuoro. A prandio vero cunctatius dum lego, cariores effectæ ſunt, veritatis enim ſectatorem profitebaris, quem, vt eam conſequi facile poſſes, ab omni tum gloriæ, tum vtilitatis cupiditate vacuum eſſe decebat: verum dictorum tuorum immemor, maxime tibi rurſus gloriæ, & vtilitati fore ſperas, ſi obſidem me habueris. At, iis omiſſis, Dixi: alta'q; nunc voce proclamo, Antiquos Medicos in febribus putridis, Epithematibus minime vſos fuiſſe: id'q; hac ratio-

ne munibam. Si calida conſtarent facultate, ingentem noxam calido laborantibus morbo, inferrent: ſi frigida, morbi cauſam maxime augerent, cui perpetuo, vbi adſit, attendendum paſſim, præſertim vero nono de medendi Methodo, capite ſexto, iubet Galenus. Huic ſententiæ reclamaſti, Cum'q; nihil, vel exiguum ſaltem haberes, quod opinioni faueret tuæ: Ceratum decimo de Medendi Methodo deſcriptum, cap. nono, in medium adduxiſti. Ego autem, ne minimũ quicquam, quod tua dicta fouere poſſet, id continere dicebam, quod alioquin a Galeno pro hecticarum febrium auxilio (earum enim Methodum ibidem ex propoſito docet) eſſet compoſitum. Hoc audito, te id quando'q; mihi oſtenſurum aſſerebas: cui anni tempus vnius præfixi. Sed tu inanis gloriæ nimis cupiditate ductus, confeſtim apud ſeplaſiarium, neſcio quo pacto, libros de Simplicium medicamentorũ facultatibus Galeni afferri curaſti, vt caput de Portulaca legeretur: Quod cum mihi nunciatum foret, coram'q; te, ac cæteris non paucis, quos forte in teſtes adduxeras, Galeni verba percurriſſem, nihil'q; pro tua ſententia inueniſſes, ſilentio omnia inuoluiſti, manus'q; ſubinde dediſti. At cum præſens liber, alterius tui falsò prolati ve-

ritatem oſtendendi, mihi præberet occaſionẽ, ad Pentaphylli caput, me contuli: cum'q; aſtrictionis, ne exiguum quidem cõtinere docuiſſem, huic quoque acquieuiſti. Hæc fuerunt tibi iurgia a me illata, hæc animi erga te mei ſuccenſio: quem, dum illic eſſemus, comitem fidelem, & fraterna charitate iunctum habuiſti, habebis'q; perpetuò, dum viuam. Arbitrabar'q;, quoniã coram Illuſtriſs. ac Excellentiſs. Domino, D. Sfortia Pallauicino, & aliis quam pluribus cuiuslibet generis hominibus, veritati manus dederas: hac de re, non amplius verba facturum. Sed inſurgis denuo, & ad interpretes te conuertis, & ſuper eos, te ipſum, ipſe tu coronas, nullo'q; accerſito iudice, palmam tibi tribuis: num autem iuſte, iam iam oſtendere aggredior.

In primis Theodorici Gerardi Gaudani verſionem improbas, qui ſexto de ſimplicium medicamentorum facultatibus capite de Portulaca καυσομένους æſtuantes fecerit, ſed cauſo laborantes dicendum cenſes: cæteros'que omnes, qui aliorum verſiones corrigere cõſueuerunt, caput hoc oſcitanter legiſſe contendis, neſcius: iuxta Galeni Placita, Gaudani verſionem, veritati magis eſſe proximam, a tua tantummodo diſtantem, quòd lucidior illa, quàm hæc,

eſſe videatur, & ſit. Qui quarto de ratione victus in acutis, commento ſecundo κᾶυσον bifariam dici, eumque modo in vna corporis parte, modo in vniuerſo fieri docet. Siue igitur καυσομένους æſtuantes, ſiue cauſo laborantes dixeris, nihil aliud certe, quàm aut æſtuanti, ſiue cauſo partiali laboranti particulæ, vt ori ventriculi, ventriculo ipſo, pulmoni, ieiuno inteſtino, Portulaçam opem ferre monſtrabis, aut corpori vniuerſo. Cuius rei non immemor, capite de Portulaca dicebat, æſtuantes, ſeu, vt tu mauis, cauſo laborantes, illam iuuare, ſi quid aliud tum ventris oſculo appoſita, tum totis hypochondriis, ſic affectis, maxime autẽ in febribus hecticis, corpore vniuerſo æſtuatione, ſeu cauſo correpto: Nequaquam in febribus putridis ipſam admiſſurus, niſi quapiã alia ratione coactus. Quod quando fieri debeat, inferius oſtendam. Hæc ſanè, me non modo problematis veritatem aſſequutum, ſed & Gaudanum, cæterosq; doctiſſimos viros ab inſcitia vindicaſſe, eosq; non oſcitanter Galeni libros perlegiſſe clare demonſtrant. Quos, te magis conniuentibus oculis euoluiſſe indicas. Vt virum tamen tueri videreris morte præuẽtum, verſiones ſuas non vt in manus hominum peruenirent, compilaſſe affirmas. Quæ tui

digna

digna videtur ſequela.

Galenum inſuper, inquis, **Libro primo de** ſimplicium medicamentorum facultatibus ſexto, cerato aqua plurima frigida imbuto, morbos omnes calidos, & eos, qui in febre vruntur, refrigerare; ſi hypochondriis ſuperponatur: & hoc pacto ſententiam tuam confirmari valde contendis, quia addit verbum ἐν πυρετῷ, ideſt, in febre: Quæ, ſi mentis acie conſideraſſes, neque tibi alicuius auxilii eſſe, neque ſententiæ noſtræ reclamare putaſſes. Ceratum quidem illud humidum, cauſo laborãtes cunctos iuuat, ſeu partem aliquam inſideat ille, ſeu corpus vniuerſum, vt in febribus hecticis: Non enim febribus omnibus opitulari dixit, ſed febribus tantum, quam indefinitã propoſitionem, aliqua particularis ſubſequi poteſt, ita vt, ceratum auxiliatur febribus, conſequatur ergo hecticis: Putridis namque plurimum obeſſet, quod libro ſexto eiuſdem voluminis aperte docuit, cum portulacã hecticis opitulari dixit, putridarum ne minimum quidem verbum faciens.

Ex Galeno, libro tertio de ſimplicium medicamentorum facultatibus, idem colligere ſtudes capite octauo. Sed cum eadem repetas, quæ ſuperius circa verbum illud καυσομένους dixi,

ne nimis longus ſim, & ſtatutum reſponſioni meæ à ſeplaſiario tempus fugiat, ſatis eſſe duco.

Nimis eleuatus inſurgis, mi Caſſola, dum Galeni quarto de ſimplicium medicamentorū facultatibus, capite ſecundo præceptum arbitraris, in febre ardenti externis refrigerātibus auxiliis confidenter vtendum: Plurima à te inſcripta non referam, ne quàm par ſit longa vagetur oratio, id tantum dixiſſe velim, doctos viros πρός καῦσους ad ardores, non, vt aſſeris, ad ardentem febrem appoſitè vertiſſe, id'que iam ſupra clare demonſtraui. Quod ſi etiam cauſum vertendum cenſes, non protinus ardentem febrem, quinimmo particularem cauſum indicabit.

Orationem Galeni libri quarti de ſimpliciū medicamentorum facultatibus, capitis vndecimi, præterea refers, quam, quoniam pluribus à te verbis deſcripta fuit, cæco etiam manifeſtam putas. Ego autem nullius eſſe momenti, ex dictis'q; dilutam exacte reor: Cum enim inquis, ad refrigerandos ardores, ideſt, febres ardentes, acida, atque ea ratione frigida, iure merito conuenire, quia πρός καῦσους ſcripſerit Galenus: καῦσους, iam ab eo bifariam accipi oſtenſum eſſe dico: proinde neque hoc loco ad ardentes febres, ſed ad particulares cauſos

vertendum, qui magis proprie ardores: ſeu æſtuationes, à doctis dici ſolent.

Vides mi Caſſola, quam facile ſit in antiquorum placitis allucinari eos, qui auræ alicui populari addicti, illorum libros conniuentibus oculis percurrunt.

Pauli quoq; Aeginetæ libro ſecundo, capite trigeſimo primo, orationē adducis: quæ profectò ad propoſitum noſtrum nihil pertinet. Cum enim ibi de febribus, eryſipelati iunctis agat, non ratione febris, cui noxia valde forent externa frigida remedia, ſed eryſipelatis, admouenda cenſet. Nam cum plures morbi cō- „ plicantur illi, quod magis vrget, attendendnm „ eſſe, interdum etiam non modo primo, ſed illi „ quoque ſoli auxiliandum, Libro ſeptimo de „ medendi Methodo, capite duodecimo, necnō libro vndecimo, capite nono, monet Galenus.

Addis adhuc Paulum eodem libro, capite trigeſimo ſexto, ex monumentis Ruffi de febre peſtilenti tradidiſſe. Quod ſi plurimum „ ferueant languentes, flammaq́; iam ad pectus „ tendat, nihil deſignaueris abſurdum, neque à „ ratione alienum, ſi frigorifica pectori admo- „ ueas, atque egelidam potionem offeras. Non ne cernere potes in febribus peſtilentibus, frigorifica medicamenta extrinſecus admouēda,

non putridæ febris, ſed maioris imminentis morbi hecticæ duntaxat ratione? id'que his etiam quæ ex eodem Paulo capite trigeſimo quinto, nec non & ex Oribaſio, tua ſcripta referunt, ſatis eſſe poteſt.

Aetii autem ex Philomeno orationi, & ſi eam non recipere cogar, nam & Galeni placitis aduerſatur, eadem ſit reſponſio, quæ & Tralliano ſatisfacere poteſt.

Ex iis palam factum eſſe arbitror, Galenum in putridis febribus, nunquam epithematibus vſum fuiſſe, qui octauo de medendi Methodo, capite ſecundo, frigidam lauationem aduerſiſſimam aſſerit corporibus, quæ fuliginoſis abundant excrementis, vt libro nono eiuſdem, „ capite primo dicit. Merito diximus ex frigore, „ & balneis, quæ vel contactu refrigerent, vel fa„ cultate, præterea pharmacis ſimilis generis, & „ detineri intra corpus ceu humida, fuliginoſa'q; „ excrementa, & ab iis febrem accendi. Et rurſus decimo eiuſdem, capite octauo, inquit. Aerẽ „ frigidiſſimum quatenus ægrum contingit co„ gere cutim, denſare, & prohibere putreſcentium humorum transfluxum. Ex quibus colligere potes epithemata minus conuenire, nam aer aliquem vſum inſpiratus afferre poteſt. Illa vero nullius auxilii eſſe valent. Libro vero

vndecimo eiuſdem, capite decimo ſeptimo iu-
bet. Ad pectus parcius, quàm ad cætera ad- „
ſtringentibus vtendum, quod humores, in „
pulmonem reprimant, & quandoq́ue in cor. „
Quam noxam promptius inferre epithemata
cordi admota poſſunt. Quod autem Paulus,
Aetius, Oribaſius, & Trallianus id aliquando
faciendem dixerint, alia ſanè ratione molien-
dum, vt ſupra monſtrauimus, voluerunt. Aſ-
ſumptumq́; fuit ex Galeno decimo de meden-
di Methodo, capite ſexto, febrienti corpori „
plurimum ſiccato, & igneum calorem haben- „
ti, aquæ frigidæ potionem præcipiente, quæ „
febrim protinus extinguit, ſubditq́;, modo, vt „
dictum eſt, nec phlegmone aliqua ei ſit adiun- „
cta, nec putredo humorum: nam ſi horũ vtrũ- „
uis ſit, attendere diligenter oportet, ac diſcer- „
nere quo primum tempore aquam frigidam „
homini dare ſit audendum. Ego enim talium „
quoq; non paucis dedi, tutius eſſe ratus phle- „
gmonas in præſens augere, quàm ſinere homi- „
nem hecticam febrem incurrere. Cuius rei ra- „
tionem ſubiungit. Vbique igitur, vt ſemper „
dicere ſoleo, curatio dignotionem, prænotio- „
nemq́ue conſequitur, ſiquidem & dignoſcat, „
quod præſens eſt, & prænoſcat, quod ex eo „
futurum eſt, oportet, qui volet notabilis effi- „

„ caciæ remedio vti, ſi tamen magnum fore in-
„ cómodum, vel humorum putredini, vel phle-
„ gmone coniicies, à frigida quidem danda ab-
„ ſtinebis, refrigerantibus autem remediis, quæ
„ foris applicantur, vtêris:modo ea ſuper os vē-
„ triculi, aut tota præcordia, modo ſuper pectus
„ imponens, vbi ſcilicet plurimum ſubeſſe calo-
ris maxime iudicabis. Ex quibus liquido cō-
ſtat Galenum neque frigidæ potionem, neque
extrinſecis refrigerantibus vſum eſſe in febri-
bus putridis:ſed illa maxime noxia aſſeueraſſe,
niſi febrientem ingentiſſimus feruor infeſtaue-
rit, ob quem hecticam incurſurum præcogno-
ſcebat. Ea namque fumoſa excrementa intra
corpus detinere monſtrabat, quæ plurimorū
„ malorum cauſa eſſe poſſent. Non enim me-
„ dico ſat fuerit ex medicatoriis indicationibus
„ nouiſſe, quid agendum ſit pro ægri ſalute, ſed
„ & quando id admouendum ſit, minime igno-
randum eſt. vt capite primo, libri primi de ar-
te curatiua ad Glauconem, nos docuit Gale-
nus. Cuius rei cauſa, eodem libro, capite de
„ cura tertianæ nothæ, dicebat. Quod ſi ſan-
„ guinem mittere oporteat, neque hoc quoque
„ omittendum, ſed ab initio ſtatim, adhibita ea-
„ rum rerum, quas ſcis, diſtinctione:ſciens enim
„ pro curatione illarum febrium ſanguinis miſ-

ſionem non niſi maximo laborantis periculo moliendam eſſe, quando fieri debeat admonet, inquiens, Si tibi videbitur, hoc eſt, ſi aliquis maior immineat morbus. Quod apertius eodem libro, capite vndecimo, expreſſit, dum circa initia hanc habuit orationem. De- ,, inceps de quartanis dicemus, quas etiam ipſas ,, ab initio mediocriter, ac leniter tractare opor- ,, tet, nullum forte medicamen, aut euacuationē ,, exhibentes, niſi forte ſanguis uehemēter ſuper ,, abundans fuerit. Oſtenderat ſiquidem Galenus, non ex ſanguine quartanam febrim fieri. Ideo ſanguinis miſſionem citra aliquam conditionem, pro eius curatione interdixit. At ſi in ægrotante nimia apparuerit ſanguinis copia, eam ſtatim admoueri iubet, præcauens tantum, ne in maiorem morbum, quem præuidebat, incideret æger. Quod ſi apertiſſime magis videre velis, lege quæ libro decimo, capite quarto de medendi Methodo edocet. Ibi ſiquidem febrientes, non modo ante acceſſionē ſtatim, ſed etiam, ſi res ita expoſtulat, in acceſſionis initio, cibandos eſſe admonet, quod in omnibus febribus, tanquam acerrimum hoſtem fugiendum, tam Hippocrates, quàm Galenus præcipiunt.

Habes igitur, mi Caſſola, non modo antiquorum medicorum, ſed & veterum poſt eos ſententiam: qua edocti in febribus putridis epithemata nequaquam admouenda eſſe monemur, modo aliquis alius nõ immineat morbus, ob quem tanquam magis vrgentem, ſpreta illorum noxa, admouere cogamur, vt ægrotantem ab Orci faucibus liberemus.

Hæc ſunt, quæ volanti, vt aiunt, calamo, libraria ſupellectile neglecta, propter temporis anguſtiam, mihi à ſeplaſiario indictam, vix ſcribere potui. Nuncium ſiquidem diſceſſurum minabatur. Vale. Me'q; non vt tui obſidem, ſed Chriſtiana charitate iunctum, ama.

Ex Aedibus noſtris Aſulæ, ſeptimo idus Decembris. M D LXIIII.

SCIPIONIS CASSOLAE AD EVNDEM IOANNEM FRANCISCVM BOCCALINVM

EPISTOLA SECVNDA.

VERITATEM me ſectari in primis fateor: ita tamen, vt ſi vera, ſolida'q; gloria, ſimul'q; vtilitas, ipſam, tanquã vmbra corpus, ſequũtur; illas minimè cõtemnã: quemadmodum virtutes primò propter ſe expetimus: quodſi, quæ præmia ſequantur, non aſpernamur; non propterea iure damnari poſſumus. Repudiare enim veram gloriam (dicebat ille) eſt animi ſplendorem, lucem'q; fugientis. ſi igitur cum veritatis indagatione gloria, & vtilitas conuenire poſſunt: non ita immemor mearum rationum eſſe debeo, quin omnia, ſi poſſim, ſimul mihi comparem. Sed, antequam ad ſcõmata in me abs te iacta deueniam: Prius de re,

quæ in controuerſia poſita eſt, cuius præcipue, & maxime ratio nobis habenda eſt, agã, eam'q; ita pertractabo. Primum tuas reſponſiones redarguam, meam'q; opinionem vali diſſimis tũ rationibus, tum antiquorum ſententiis firmabo. Mox Galeni ſententias abs te in hanc diſputationem adductas, nullius eſſe ponderis oſtendam. Demum à ſcommatibus falſis me purgabo: Simul'q; nonnullas Galeni ſententias a me contra tuam opinionem adductas, quas tu infirmas reddere conatus es, in ſuo robore manere probabo. Antiquos igitur medicos in putridis febribus epithematibus minime vſos fuiſſe alta voce proclamas, ſententiis'que ipſorum a me in contrariam partem adductis, das (vt arbitror) tres reſponſiones. Prima quidem conaris vitare iacula Galeni nõ ſolum dicentis, ſed etiam præcipientis, confidenter nos debere vti epithematibus in cauſo, vt, pluribus eius ſententiis adductis, oſtendi: In hac reſponſione, inquis, duplicem eſſe cauſum: alterum particularem, qui habet ſedem in vna præcipua parte: alterum vniuerſalem in vniuerſo corpore: Hoc veriſſimum eſſe fateor, neque hoc nuper me didiciſſe credo: ſed quàm tibi faueat hæc partitio, poſtea oſtendã. Nunc alias duas reſponſiones tuas proponam,

quibus conaris te tueri ab aliorum antiquorū ſententiis: Oribaſii, ſcilicet, Pauli, Aetii, & Tralliani, qui ſanè Galeni veſtigia hac in re ſunt ſecuti. In altera harum reſponſionum dicis, Paulum epithematibus vti in febribus ab eryſipelate, non ratione febris putridæ, ſed ratione alterius morbi eryſipelatis ſcilicet. In altera vero, inquis, antiquos Medicos in peſtilentibus febribus vſos fuiſſe epithematibus non ratione febris putridæ, ſed ratione maioris periculi imminentis, ſcilicet hectices. Hæ ſunt (ni fallor) omnes tuæ reſponſiones, quibus datis, & prorſus conceſſis, adhuc habeo, quod volebam, quod contendebam, Antiquos, inquam, medicos interdum frigorificis epithematibus in febribus putridis vſos fuiſſe. Nempe ſi Galenus vtitur in cauſo particulari (vt & tu hoc concedis) ipſum proculdubio ſequitur febris putrida, immo & ipſe nihil aliud eſt, niſi febris ardens, vt mox oſtendam: ergo in febre putrida vtitur: ita febris ab eryſipelate eſt putrida, febris peſtilens eſt putrida, ergo in febribus putridis vtuntur aliquando epithematibus algorificis. ſtatim tu dicis, nō ratione febris putridæ, ſed aliis de cauſis: ſed audi, doctiſſime Boccaline, neque ego dico, illos epithematibus vti ratione febris putridæ, qua febris pu-

trida; quia tunc perpetuò conuenirēt omnibus id genus febribus. ſed dico, & aſſero vti in illis putridis, quibus conueniunt, puta in ardentibus, quia his præcipue cōducere putarunt, & harum ſimilibus, vel modo hoc faciant metu maioris periculi, vel alia ratione, nihil ad me. Vtcunq; ſit, habeo ſaltem illos interdum epithematibus vſos fuiſſe, quod pugnat cum ſententia dicente, ipſos minime illis vſos fuiſſe.

Sed parcas, quæſo, mi Boccaline, neq; tuæ reſponſiones vllo modo ſubſiſtere poſſunt. Nam, quod dicis, Galenum ſolummodo vſum fuiſſe illis in cauſo particulari, vnde hoc promis? quo auctore fultus id aſſeris? vis ne tibi potius aſſentiar, an magis Paulo, Aetio, Tralliano, qui expoſuerunt ſententiam Galeni, tam de cauſo vniuerſali, quàm particulari? De vniuerſali quidem, cum doceant nos vti frigorificis externis in febre ardenti, & memorent eadem ferè refrigerantia, quibus vti nos docuit Galenus ad cauſos, in Libris de facultatibus ſimplicium medicamentorum, in prima epiſtola a me citatis. Ergo patet, ipſos intellexiſſe ſententiam Galeni in cauſo vniuerſali. De particulari vero expoſuerunt ſententiam Galeni, cum doceant nos vti epithematibus algorificis in febribus ab eryſipelate viſcerum: quod eſt,

vt docebat Aetius, vel in ventriculo, vel in iecore, vel in pulmonibus. Quid, obſecro, hoc aliud eſt, quàm cauſus particularis? exponunt igitur Oribaſius, Paulus, Aetius, Trallianus Galeni ſententiam de vtroque cauſo: Sed quid? non ne ipſemet Galenus vtitur in cauſo vniuerſali corporis, maiori refrigeratione extrinſeca, quàm ſit in epithematibus, ſi cætera conſentiant? Audias ipſum.11.Meth.cap.9. ita dicentem, In febre ardente viribus valentibus, „ & præſentibus ſignis coctionis, ſi bona ſit ha- „ bitudo corporis, & ſtatus cœli calidus, & ſic- „ cus: etiam ſi in frigidam natationem hunc di- „ mittas, non lædetur: eiuſmodi nanque oppor- „ tunitate vſi, qui ſeſe in frigidam coniecerunt, „ & protinus omnes ſudarunt, & nõnullis etiam „ aluus bilioſa deiecit. Ecce, vir clariſſime, timet ne Galenus extrinſecam refrigerationem in cauſo vniuerſali? quinimmo valentiori vtitur, & ego credo, tantam refrigerationem in cauſo particulari Galenũ nunquam commendaſſe, neque ſi eſſet ſuperſtes, cõmendaturum fore. Nam, mea ſententia, ſi quod eſt periculum obſtructionis, multo periculoſius eſt, refrigerare partem, in qua humores iam incluſi reſederint, quàm, cum ſunt in vniuerſo corpore. Hinc eſt, quod Galenus.10.Meth.cap.7.

vbi ſit phlegmone in parte interna, ſuſpectum magis habet exhibitionem frigidæ. Conuenit igitur refrigeratio externa magis vniuerſali, quàm particulari cauſo. ergo Galenus non tantum pronuntiauit de particulari, ſed etiam de vniuerſali.

Quod ſi de particulari cauſo ſolo intellexiſſet, quid haberes præterquàm, quod in paucioribus putridarum febrium ſpeciebus epithematibus vteretur? Nam & cauſum particularem eſſe febris ardentis ſpeciem, clare dicit loco a te citato, ſcilicet, Quarto de ratione
„ victus, ſecundo, Inquit enim, An ne carne id
„ ferente erit cauſus, ſiue in parte vna, ſiue in to-
„ to corpore eam pati contigerit? Quinimmo 2. de criſibus, cap. 7. dicebat, malignos cauſos ſequi eryſipelata pulmonis, vel iecoris, vel ventriculi: ſi ergo in particulari ſolo cauſo vſus fuiſſet Galenus epithematibus, tamen & in putridis ipſum vſum fuiſſe illis, adhuc effugere non poſſes, ſed in vniuerſali, & in particulari ipſum intellexiſſe iam ſatis ſuperque me demonſtraſſe arbitror. Itaque concidit iam tua prima reſponſio, manifeſtéque deprehenditur vanam prorſus eſſe illam tuam cauſi in duas ſpecies partitionem.

Quod autem in tua ſecunda dicebas, Paulũ

in febre ab eryſipelate viſcerum, epithematibus vti ratione alterius morbi, Tu tibi id ſumis. nō ne verba ipſa oſtendunt ſcopum Pauli? non ne dicit, velle curare febrem ab eryſipelate viſcerum? non ne vult opitulari parti, vbi eſt ſedes morbi? non dicit febrim, & eryſipelas; ſed febrim ab eryſipelate; & iam oſtendi hanc non eſſe aliud, niſi cauſum particularem. ſecunda igitur reſponſio cadit.

Non minus aliis cadit tua tertia reſponſio, in qua inquis auctores in peſtilentibus febribus algorificis externis vti, ſolum ratione imminentis periculi, hectices ſcilicet, non ratione alia quapiam. Primo quare non eſt periculum etiam ex ingenti calore præter naturam extingui calorem innatum? Itaque non hecticen, ſed mortem potius (quæ magna ex parte peſtilẽtes ſequi ſolet) ſubſecuturã vereri debemus. Eſt igitur aliud periculum maius, quàm id, quod adduxiſti; præcipue ſi puer, vel mulier, vel pituitoſus ægrotaret. Secundo ex tuis aſſumptis ſequeretur totum oppoſitum. Nam, ſi ex ea ratione, quod externa algorifica augent cauſam, ipſi morbo obſunt, ergo in peſtilentibus febribus æſtuoſis augebunt cauſam. ergo morbum. ergo maius incendium. ergo in hecticen, quam fugere volebamus, citius incide-

mus. ergo ex ſartagine (vt aiunt) in prunas incidemus. minus igitur aliis tua tertia reſponſio ſubſiſtere poteſt.

Sed vt rem aperiam, Domine mi, deceptio in hoc conſiſtit: quoniam non ſequitur perpetuò occurrendum cauſæ, vbi adeſt, ergo epithemata ſemper obſunt. Non valet ſequela, quoniam quandoq; non primo cauſæ occurrimus: ſed morbo præcipue, & hoc declarauit Galenus fuſe. 10. Meth. 1. docens quando primo cauſæ, quãdo præcipue morbo debeamus
„ occurrere: & inter alia verba, hæc habet. Nam,
„ ſi intolerabilis ægro magnitudo febris ſit,
„ committendum non eſt, vt per eam, quibus
„ cauſam adimimus, febrem augeamus, ſimul e-
„ nim arbitror vtrunq;, & febrem ſuſtulerimus,
& hominem. Ecce hic timet mortem, non he-cticen. Cum igitur maior indicatio eſt ea, quæ ſumitur a morbo, quàm, quæ a cauſa, tum vſus epithematum eſt commodus, & plus iuuant refrigerando, quàm obſint conſtipando. Nam vbi ſit ingens feruor, reſiſtit illi leui obſtructioni ab externis refrigeràtibus inductæ: quæ proculdubio leuis eſt, ſi refrigerantia ſint ſolum refrigerantia, ſine magna adſtrictione: & Galenus magis cauet a valde adſtringentibus. Hinc eſt, quòd dicebat. 11. de Morb. curãd. nos debere

debere nimis adſtringentia in pectore cauere, non ita cauet a frigefacientibus. Declaraui igitur (ni fallor) vir clariſſime, non ſolum tuas rationes non poſſe ſubſiſtere: ſed & vſum epithematum in aliquibus putridis febribus eſſe ingentem, & ab antiquis medicis valde cognitū.

Iam vero tu habes in tuis literis, alterum, quod nunquam aſcribere tibi auſus eſſem. Tamen, poſtquam tu id ſcribis, non poſſum non tibi tribuere. idipſum eſt, te non ſolum epithemata refrigerantia, ſed calefacientia vituperare, tanquam calido morbo noxia. ſed hoc videtur pugnare cum tuo primo placito, cum inquis, perpetuò occurrendum eſſe cauſæ: Nā ſi ſemper deberemus præcipue occurrere cauſæ, ſemper igitur poſſemus vti iure merito calefacientibus moderate epithematibus. Sed tanquam veritate cogente tu in hoc altero tuo placito neceſſariò fateris, non perpetuò præcipue occurrendum eſſe cauſæ: ſi per te debemus abſtinere a calefaciētibus epithematibus: quia calido morbo obſint. ſed vir clariſſime, modo calefacientibus, modo refrigerantibus vti debemus. Calefacientibus quidem, cum morbus mediocris, cauſa potentior, & vehemētior eſt. Refrigerantibus vero, cum morbus vehementior, cauſa vero leuior. Neque valet ſe-

quela, epithemata calido nocent morbo. ergo nunquam eis vtendum. oportet, ſi hæc ſequela valere deberet, nos ſemper debere morbo præcipue occurrere: vt, & antea de cauſa dicebam: ſed quia viciſſim modo cauſæ, modo morbo occurrere præcipue debemus: hinc fit, vt modo calefaciẽtibus, modo refrigerantibus epithematibus medici vtantur. Quod autem vtantur, audi Galenum.10.Meth.10.de balneis
,, loquentem, Refrigerationem, inquit, & rela-
,, xationem omni febri eſſe vtiliſſimam. Præte-
rea vndecimo eiuſdem, cap.20.habet hæc ver-
,, ba, At vero ſi quis, vti prædiximus, toto cor-
,, pore prius euacuato relaxantibus curet, vbi
,, ſcilicet maxima non ſit febris, vtique prodeſſe
,, aliquando poteſt, tum vero, ceu dictum eſt, la-
uare citra noxam licet. Dixerat autem in fine
,, capitis 16. Ego vero nec eorũ, qui ex putreſcẽ-
,, te humore febricitent, lauem quenquam, ne
,, relaxantibus cataplaſmatis, prius quàm ſuper-
,, flua purgarim, vtar, his vacuatis, non ſolum
,, audacter lauem, ſed etiam cataplaſmatis vtar.
Quinimmo in illo libro fuſiſſime de cataplaſmatis agens ſemper concludit, vbi ſit vacuatum corpus, & maxima non ſit febris, ſemper non poſſe vti cataplaſmatis. Ecce quomodo in hac ſecunda conditione ſignificat, tum, cum vti-

mur cataplaſmatis, maiorem ſumi indicationem a cauſa, quàm a morbo. maxima enim ſi ſit febris, vult nos abſtinere a cataplaſmatis, & hoc eſt, quod dixerat decimo eiuſdem, cap.1. „Nam ſi intolerabilis ægro adſit febris magnitudo, committendum non eſt, vt per ea, quibus adimimus cauſam, febrem augeamus. vbi igitur vacuatum ſit corpus, & febris ſit mediocris, vtitur Galenus & balneis, & epithematibus calefacientibus. Itidem & alii priſci medici. Paulus. 2.lib.de peſtil. febr. vbi extremæ partes, ac ſumma cutis frigeſcat, calorificis vtitur externis auxiliis. Idẽ facit Oribaſius. 6.lib. ſui Compendii capite de febri peſtilenti. Idem Aetius.5. ſui operis, tum capite de febr. peſtil. tũ cap.de febr.ardẽ.Idem Trallianus capite de curat.febr.nothæ. Videtur igitur mihi, ſenex doctiſſime, firmiſſima antiquorum medicorũ ſanctio, nos debere vti epithematibus in putridis febribus, modo algorificis, modo calorificis pro diuerſa febrium ratione.

Reliquum eſt, vt veluti ex auctario quodam reſpondeam dictis Galeni, quæ a te adducta ſunt, quibus oſtendere conaris ipſum epithematum vſum in putridis febribus interdixiſſe, dixi auctarium hoc eſſe, quoniam mihi ſat eſt oſtendiſſe Galenum præcepiſſe nobis vſum il-

lorum. ſi vero videtur alibi ſecus dicere, quæ apparent in ipſo pugnantia, conciliare non teneor. Ne tamen hoc inſcitia omiſſum eſſe videatur, breuiter, vere, & facile iis, quæ a te ex Galeno adducũtur, reſpõdebo. Adducis enim primum duo eius dicta, vnum. 8. Meth. cap. 2. alterum. 9. eiuſdem cap. 1. quæ quoniam eiuſdem ſunt farinæ, vtraque ſimul propono: in primo enim dicit, „frigidam lotionem corporibus, quæ aggregant fuliginoſa excrementa, eſſe aduerſiſſimam. Ita & aluminoſam, ſicut & lotionis abſtinentiam." In ſecundo dicto eadem repetit dicens, „Nam quoniam ſtipatio, vel obſtructio exilibus meatibus, vel etiam conniuẽtibus, vel etiam corpore ipſo immoderatius denſato, accidit, merito (arbitror) diximus ex frigore, & balneis, quæ vel contactu, vel facultate refrigerent: præterea pharmacis ſimilibus, fuliginoſa detineri excrementa, & accendi febrem." Sed heus tu clariſſime vir, nonne hic loquitur de febre diaria, ex conſtipatione? non de putrida vllo pacto hic loquitur sed de febre diaria, quæ habet cauſam, ſtipationem ipſam, cui dubium, nos in febre, quæ habet præcipuam cauſam, ſtipationem, & in febre diaria, in qua cauſa interna adhuc ſubeſt, & morbus non eſt adeo magnus, vt ſcopum

curationis ad ſe trahat, nos cauere debere cõſtipantia: vbi vero cauſa nõ ſit ſtipatio, & in febribus diariis vtitur ipſemet Gal. externis refrigerantibus, vt videre eſt paulò poſt primũ dictũ a te citatũ eodẽ. 8. cap. 3. vbi curat febrem diariã ex vſtione, cum refrigerantibus, & vult, vt roſaceum, omphacinum, ualde refrigerentur cũ aqua, vel niue. ecce non timet refrigerantia, vbi eſt æſtus: ſi uero cauet a refrigerantibus in febre diaria, ex cõſtipatione, & in homine aggregante fuliginoſa excremẽta, quorſum hæc adducere in febre putrida ardenti, vel peſtilẽti?

Adducis deinde Galenum. 10. eiuſdẽ Meth. cap. 8. dicentem, Aërem frigidiſſimum, quatenus ægrum extrinſecus contingit, denſare, & cogere cutim, ac putreſcentium humorum effluxum prohibere. Hæc Galenus: Sed ſi iſta ſententia epithematum vſui obſiſteret, nõ minus tuæ, quàm meæ opinioni obeſſet. Nam ibi loquitur de hecticis febribus, in quibus & tu fateris epithemata vſui eſſe: ſed animaduertendum eſt, ibi Galenũ loqui de aëre frigidiſſimo (Nam modice frigidum iamiam laudauerat) & eo contingente ambitum ipſum corporis, qui habet multa membra frigida, & neruoſa, vt cubitos, manus, genua, crura, pedes, quæ membra facile nimis refrigerari, & eorũ mea-

tus obſtrui poſſunt. hoc vero non tollit, quin in magno febrium æſtu membra propè fontẽ caloris refrigerare debeamus: quinimmo idẽ Galenus eodem ipſo lib.cap.10.dicit, Si certã febricitantium naturæ notitiam haberemus, non (arbitror) dubitaremus, eorum aliquos aſſidue in aquis frigidis citra balneũ lauare &c. ecce hic non timet obſtructionem.

Adducis deinde Galenum.11.eiuſdẽ cap.17. dicentem, Ad pectus parcius, quàm ad ventriculum, & iecur aſtringentibus eſſe vtendum. Hæc ſententia licet magis mihi, quàm tibi faueat: quoniam cõcedit nos poſſe vti obſtruentibus: tamen ſi vis, vt tibi condonem, eam tibi magis fauere; dicam, & iam antea dixi, Galenũ cauere a valde aſtringentibus, non a ſolis refrigerantibus, vel a modice adſtringentibus, quæ non ita obſtruunt. ſed alterum animaduertendum eſt Galenum illo in loco indicationem potius ſumere a parte affecta, quàm a morbo, vel a cauſa.

Adducis alias ſententias Galeni, quæ oſtendunt medicos in morbis, vt in tertiana notha, in quartana quandoq; vti aliquibus auxiliis ad vitandum maiorem morbum: fateor ſanè libenter. & ſi epithematibus in putridis febribus hac ſola ratione vterentur: tamen hoc iam

lucrifeci tecum, vſum epithematum medicis antiquis non incognitum, qualicunq; ratione illis vſi fuerint. ſed iam antea demonſtraui, nõ ſolũ ſuſpitione futuræ hectices; ſed ratione ipſius morbi, & metu necis, ipſos illis vſos fuiſſe.

Reſtat tantummodo, vt cauillationes, quas mihi obiicis, extra rem literariam, diluam: ſimulq́;, quoniam & tu ſimul eadem pertractas, dicta Galeni a me adducta, quæ tu infirmare conaris, in ſuo robore permanere demonſtrẽ. Ad probandum epithematum in putridis febribus vſum, adduxi in medium, ceratum Galeni, quod licet ſciam a Galeno præſertim ad febres hecticas compoſitum: ſciebam tamen eum & ad eryſipelata, & inflammationes vti eodem: & aderat mihi etiam ſubobſcura quædam (quippe quod iã pridem id legiſſem) memoria, Galenum in febribus ardentibus eiuſdẽ meminiſſe. Sed, quia hoc non ita mihi firmũ tunc, cum colloquebamur, erat in memoria; nolui ſine certiſſima eius oratione, id multis verbis tum aſſeuerare, pertinaxq́; nimis uideri. propterea tunc tacui. Verum literis deinde ad te miſſis palàm feci, Galenum primo de facultate ſimplicium medicamentorum cap. 2. dicere ceratum humidum addita aqua τοὺς ἐν πυρετῷ καυσομένους refrigerare. Ecce Galenus in labo-

rantibus cauſo, eo cerato vtitur. Tu hic reſpõdes, non dixit Galenus, opitulari omnibus febribus, ſed aliquibus: ergo hecticis. Sed Domine mi, ſi hæc verba τοὺς ἐν πυρετῷ καυσομένους poſſint exponi de febribus hecticis, medicis græca literatura eruditis iudicandum relinquo. Repugnat enim hæc expoſitio verborũ ſignificationi, illa enim verba cauſo affectos ſignificãt.

Dicis quoque Galenum capite de Portulaca de putridis febribus ne minimum quidem verbum feciſſe. Sed audi, Galenus inquit, iuuare καυσομένους, quos tu interpretaris ardores, & inquis, ardores eſſe particulares cauſos, at cauſi particulares ſunt cauſi, & cauſi ſunt febres putridæ. igitur de putridis meminit. Præterea, " ſi addit, & maxime in febribus hecticis. ergo aliquid aliud prius dixit. quorſum enim illa " verba, & maxime in febribus hecticis. Tu dicas. dixit ardores. & ego dicam. ergo putridarum febrium meminit.

Me pollicitum eſſe ueritatem meæ opinionis oſtenſurum (vt tute fateris) & ſtatim manus dediſſe, cohærere non poſſunt: propterea me manus dediſſe neque concedo, neque cuiquam ſanè mentis homini perſuaderi poſſe arbitror, cum me meam opinionem veram oſtẽſurum eſſe aſſeuerarem: & Annum integrum

a te pro

a te pro termino conſtitutum haberem : Quis tam fatuus celeriter ita manus dediſſet? præſertim cum ibi neque librorum copia, neque minima ſanè ſtudendi facultas daretur. Verum illud quidem fateor mihi veluti reminiſcenti illa duo Galeni dicta occurriſſe, de Portulaca ſcilicet, & de Cerato humido, ea'que tum ex tempore adduxiſſe, curaſſe'q; paulò poſt colloquium noſtrum librum cuiuſdam junior s Medici ad me afferri, vt viderem, ſi dictum Galeni capite de Portulaca, ita ſe haberet, vt memoria ſuppetebat, rem ita ſe habere comperi. tu interea aduentaſti, dictum oſtendi, negare tu ibi Galenum de putridis meminiſſe, & clariori voce agere cepiſti, turba concurrere, hoc pacto teſtes adfuerunt. Nam, me hercule, quoſnam ibi teſtes adducere poteram?, nunquam antea illo in Oppido fueram; neminem agnoſcebam : tu eos ſanè habere potuiſſes : cũ ſanè ibi ſis, & iure merito, celebris, & Seplaſiarium, & illos iuniores Medicos tui obſeruãtiſſimos haberes. ſed quorſum iſta? vt rem, quemadmodum geſta ſit, enarrem. & me manus minime dediſſe demonſtrem, niſi forte, quod contentioſis verbis, vulgo præſente, altercari noluerim : id ipſum manus dare appelles. Ego hoc pacto me manus dediſſe libenter

concedo, ne auræ populari nimis addictus (vt tu mihi aſcribis) coram populo, circunforaneorum medicorum more, clamitarem. Cœpit enim noſtra diſputatio domi præſente Illuſtriſs. Sfortia Sanctæ Floræ Comite inſigni, qui ſanè nouit, ſi manus dederim, necne. Nunquã enim iſti de epithematibus diſputationi adfuit Illuſtriſs. Sfortia Pallauicinus. Sed iam plura, quàm par ſit de hac re. certe pudet me tot verba præter inſtitutum meum adducere, ſed ideo hæc in medium affero, ne ſi, quæ a te mihi obiecta ſunt, ſilentio inuoluam, veritate inniti nõ videar: ſed, quæſo, ſenex doctiſſime, ſcientia pugnemus, non ſcommatibus, non cauillis, ab area literaria non diſcedamus. Non eo errore, quo multi ducti ſunt, ducamur, qui ſæpe opinionum, ſententiarum'q; diuerſitate maximas contraxerunt inimicitias: non ita nobiſcũ agatur: ſed amice potius, beneuole, placide'q; agamus. Sola enim in opinionibus diſſenſio, circa ſcientias, & circa alias quaſcunque res, nullas prorſus inter homines debet parere inimicitias. vter noſtrum rectius ſentiat, iudicet DEVS Opt. Max. ſi enim tu rectius ſentis, adhuc Chriſtiana charitate te mihi iunctum perpetuò fore polliceris, fructibus igitur charitatis vtere. ſi vero rectius ego ſentio, ex tua pa-

ctione mihi obſes eſſe debes: non mediocrem igitur honorem mihi tribuere debes. Mittamus igitur ſcommata tanquam probis, doctis, chriſtianis'q; viris indecora, ac inhoneſta. Ad rem noſtram igitur redeo.

Quinquefolium dixi adſtringere, quia memineram me legiſſe (apud vero quem tum non recordabar) vſum ipſius eſſe magnum in profluiis ſanguinis, in dyſenteria, in alui profluiis, quærendo deinde, Dioſcoridem reperii, omnium harum rerum auctorem, non igitur temere adeo id pronuntiaui. Quoniam tamen vidi Galenum nullam illi tribuere adſtrictionem: ſed innuere ſua valenti exſiccatione in illis morbis valere poſſe, illico acquieui. Ita in hoc problemate, ſi tuarum partium Galenum eſſe vidiſſem, continuo acquieuiſſem. non enim is ſum, qui meas ſententias ita mordicus tenere velim, vt veritati aſſentiri nolim.

Theodoricum Gerardum Gaudanum ab inſcitia te vindicare aſſeris, qui καύσον, (hoc eſt, vt tu exponis, cauſum particularem) interpretatus eſt, ardores, & æſtuationes; inquiens, a doctis magis proprie ita appellari ſolere. Ego vero neſcio, qui ſint iſti docti, qui ita appellẽt. bene ſcio Copum Baſilienſem non cõtemnendum interpretem, non ita interpretatum eſſe

Galenum.5.de locis affectis, cap.6. de particulari cauſo loquentem, quemadmodũ nec Leonicenum medicum ætate noſtra non minus vtraque lingua, Græca ſcilicet, & Latina, quàm medica arte eruditiſſimum, in. 2. de Criſibus, cap.7. ita interpretatum eſſe: neque Hermannum Cruſerium, qui vertit.1. &. 2. de Morbis vulgaribus: neque Ioannem Vaſeum, qui vertit Libros de ratione victus in acutis. quinimmo inueni Ioannem Manardum medicorum non ætatis noſtræ ſolum, ſed antiquioris eloquentiſſimum; ac non minus Latinæ, quàm Græcæ linguæ peritiſſimum, dum examinat interpretationem Marcelli Florentini in Dioſcoridem, inueni inquam, eum caſtigatione eadem, qua ego Gaudanum, caſtigantem Marcellum interpretem caput de Seride, vbi Dioſcorides habet Seridem iuuare os ventriculi, καυσούμενον (vtitur eodem verbo, quo Galenus utitur locis a me citatis) Marcellus vertit ardores. inquit Manardus, καυσούμενον, ideſt, cauſum
" patientem: eſt autem cauſus febris ab incendio
" ſic nominata. hæc ille. Hinc duo colligere licet: primum interpretationem Gaudani malã eſſe: alterum, & cauſum particularem eſſe febrem ardentem, quod tu negare videris. ſi igitur iſti iure latinarum literarum imperiti me-

dici debent appellari, & ego cum iſtis imperitus appellari non moleſte fero.

Gaudanum vero ſibi has interpretationes feciſſe, & morte præuentum non potuiſſe corrigere, non eſt meum figmentum, ſed ille, qui in impreſſione Germanica edita M D XXX. quæ habet libris de ſimplicibus medicamentis annexos libros de alimentis, & quoſdam alios, præpoſuit illis libris epiſtolam Ioanni ab Angeſto Epiſcopo, & Comiti Nouiodumenſi dicatam, idipſum commemorat, his verbis, Bonam operam nauauit Theodoricus Gerardus in vertendis his libris, atque vtinam hæc diligentia non ipſi deſiiſſet eſſe ſalutaris. Vix enim his primum celeriter verſis mors præuenit, ipſumq; magno literarum damno, continuo occupat. Quanquam non eo translati erant, vt ederentur, non enim ſibi tantum tribuebat, ſed vt ſuis priuatim ſtudiis cõſuleret. hæc ille. Quamobrem nõ eſt, vt hoc loco, ſicut in multis aliis facis, immerito me pungas, dicens, hanc eſſe ſequelam me dignam. Quæſo, per charitatem chriſtianam, non a literis ad iurgia deſcendamus. ſed ne videatur mea opinio in huius interpretationis correctione conſiſtere, interpreteris, vt libet, ne minimũ quidẽ curo, eſto legitimam eſſe (quod mihi minime placet)

Gaudani interpretationem: appellemus particularem cauſum ardores, quid hoc tibi fauet? non ne particularis cauſus eſt cauſus? non ne & ſi homo eſt animal, num propterea equus, & aſinus non ſunt animalia? tu putas diluere omnes ſententias Galeni tibi obiectas, dicendo, intelligere de particulari cauſo, quaſi particularis cauſus non ſit cauſus, qui latinis dicitur febris ardens. ſed iam oſtendi, particularem cauſum eſſe cauſum, ac aliquando malignum. Ergo omnes ſententiæ Galeni a me adductæ loquuntur de febre ardenti, quæ putrida eſt, ergo adhuc tuam opinionem infirmiorem reddunt. Hæc ſunt, quæ tardiori calamo, non dimiſſis libris, pro mea probanda opinione, & tua infirmanda modeſtè, & ex ſola ſcientia collecta mihi occurrerunt dicenda. Idem, quæſo, tu facias. id enim ſi feceris, mutuam inter nos conceptam amicitiam conſeruabimus, & veri Chriſtiani appellabimur, & exiſtemus. ſi ſecus feceris, te victum, cauillis, & iurgiis ſuperare velle probi viri ſuſpicabuntur. Id quod (ſcio) minime facies. Vale ſenex feliciſſime, meq́ue mutuo ama, vel obſes, vel amicns.

Parmæ vi. cal. Februarii,

M D LXV.